



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

res in ea qualitate egerint, & Reus de defectu idoneæ qualitatæ nihil exceperit; sed cum Actoribus in eadem qualitate litem sit contestatus, & ad ulteriora processerit, admittendo eandem ipsorum qualitatem. Prout etiam idem Reus Actoribus in eadem qualitate fecit diversas oblationes, non facturus, si putasset illos ad hoc legatum fundatos non esse.

- 12 Sed nec ex eo non fundatæ intentionis occasio arripiri potest, quod Actores non allegaverint, multo minus probaverint, quod hæc anniversaria & Missæ celebrata fuerint ijs annis, pro quibus solutiones dictorum reddituum petuntur. Cum enim Reus nusquam allegaverit aut objecerit ea in parte defectum aliquem, præsumptio stat magis pro Actoribus, quod suum officium potius præstiterint, quam in eo defectuosi fuerint. Deinde cum hæc legata non sint conditionalia, si videlicet anniversaria celebrabuntur; quo casu ut ante purificationem conditionem agi non posset, quasi nullâ actione ante conditionis adiectæ implementum competente; ita quoque conditionem evenisse probandum esset, l. *Cedere diem de verbor. signific. l. Martiana de condit. & demonstr.* sed sunt legata sub modo relicta, hoc est sub onere celebrandi anniversaria ejus; modalis legati jus rectius stabiliusque est. Nam ab initio statim ad hujusmodi legati competentis actio, etiam si non allegetur & probetur implementum modi; si modò per heredem aut Executorem ex adverso non objicitur defectus implementi, l. *Quibus diebus §. Thermis De condit. & demonstr. Glas. & DD. in l. 1. c. De ijs quæ sub modo*: quo casu natiuitas obligationis & actionis non impeditur, sed illius executio dumtaxat suspenditur, propter obiectam exceptionem seu allegationem modi non impleri; quo eodem casu etiam per satisfactionem de modo implendo vis obiectæ hujusmodi exceptionis tollitur, d. §. *Thermis*: & sic non obiectâ exceptione de modo non impleto, rectè procedit legatarii intentio, etiam si de modi implemento nihil proponat aut probet. Et hoc est, quod Bartolus docet, in d. §. *Thermis*, quod modi natura sit, ut impleatur post emolumentum acquisitum; conditio verò ante petitionem emolumenti purificari debeat. Quod enim sub conditione relinquitur, pro eo est, quasi non sit, l. *Is damnus §. fin. De reg. iur.* at quod sub modo, purum est, & statim debetur, statimque peti potest; solâ exceptione Reo relicta, si de non impleto modo conqueri potest. Quâ exceptione cum in hac causâ Reus usus non sit, attendi illa non debet, qui nec in veritate illa uti posset; cum facillimè probaretur, si opus foret, modum hunc per celebrationem anniversariorum suo quoque tempore fuisse impletum.

Postremò ad non fundatam intentionem demonstrandam nihil facit, quod Reus de pijs legatis rationes reddiderit; quasi per hoc liberatus fuerit saltem à pensionibus reddituum, quæ cesserunt post datas rationes: nam illæ rationes apertè continent executionem, pro redditibus, de quibus in hac causâ quæritur, minimè factam esse, sed ad petitionem Rei ad trimestre dilataam; quo trimestri durante constat per Reum nullâ, & ne nunc quidem post sexzum ex illo tempore annum factam esse: de quâ fa-

ciendâ Reus, ut Actoribus tenebras offundat, in hac lite sollicitus esse videtur; dum offert Actoribus non assignare redditus, & illos super bonis testatoris hypothecare, sed redditus prius constitutos transferre, ad quod Actores non egerunt: ut planè æquum sit, Reum condemnari ad solutionem dictorum reddituum, propter moram commissam; ut regulariter fructus & usura rerum legatarum præstari debent, quoties heres vel Executor in illis solvendis moram facit, l. 1. & 2. c. *De usur. & fruct. legat.* Prout etiam Reus aliorum præcedentium annorum canones, seu pensiones horum reddituum Actoribus solvit, & pro primo anno se solvisse in dictis rationibus posuit.

Quod verò Reus ulterius de difficultate horum temporum proponit, ad condemnationem effugiendam non potest idoneum esse. Difficultas enim præstationis, ut non extinguit nec minuit obligationem; ita nec moratur executionem, l. *Continuus §. illud De verbor. oblig.* Cum alioqui ex propriâ Rei confessione satis constet, multa cum solum ex bonis & pecunia domus mortuariæ percipisse; multa quoque adhuc indivisa sub se habere, unde facillè tantillam pecuniam, quæ in hac causâ petitur, conficere possit, & sic Actoribus solvere, quod pro salute & refrigerio animæ ipsius testatoris relictum est. Cujus quidem refrigerij ipse Reus præ cæteris diligentiorum curam & sollicitudinem gerere deberet; quod in eum, ejusque uxorem & liberos, vel rectâ viâ per institutiones & prælegata; vel obliquâ per substitutiones & fideicommissa, omnia ferè testatoris, hominis opulenti bona distributa & derivata sunt: ita ut nullâ ratione ferenda sit illiberalis, & capriosa ipsius in hac causâ oppositio. Quare illa non obstant, existimamus Reum ad petitos canones, nec non in expensas hujus litis condemnandum.

De Testamentis.

SUMMARIVM.

Executores ad distribuendum.

1. Executores quando sint heredes.
2. Testatus an decedat, qui bona sua alicuius dispositioni committit.
3. Falcidia ex pijs legatis non detrahitur.
4. Heredi à semetipso non legatur.
5. Arbitrio alicuius commissum quomodo accipiat.
6. Executores de pijs relictis distribuis rationes reddere debent.
7. Executor ad distribuendum an sui distribuere possit.
8. Piarum causarum multa sunt genera.
9. Executor ad distribuendum pauperibus, consanguineorum testatorum rationem ante omnes habere debet.
10. Commendare non est legare.

CONSILIVM CCCCXXIX.

EX testamento quondam D. Arnoldi Buel, Capellani Collegiatae Ecclesiæ S. Servatii Oppidi Trajectensis, propter obscuritatem & perplexitatem verborum, quibus formula institutionis concepta est, duo exoriuntur dubia: his enim verbis concepta est institutio: *Residuum verò omnium & singulorum bonorum meorum, tam mobilium quam immobilium, de cuius viribus & quantitate omnino certus non sum,*

sum, ignorans etiam qua onera in posterum emergere possent, quibus Executores mei forsitan gravari possent, do & lego, & in eo heredes instituo, eosdem retroscriptos meos Executores; ut de eo disponant, sicut ratio & equitas, ac ipsorum discretio eis suadebit: commendans eisdem causam pauperum. & proximum meorum consanguineorum, & affinium T. supplicans affectuosè, quatenus onus huiusmodi executionis ad se recipiant, bonæque fide omnia & singula, prout consulo, ac minime dubio, debent ad honorem Dei, & pro anima mea salute exequantur. Quibus siquidem meos Executoribus, amicis, & fautoribus lego pro onere huiusmodi executionis suscipienda, culibet quatuor florenos aureos iusti ponderis, sive eorum valorem semel dando. Primum enim quaritur, an dicti Executores absolute sint heredes, sic ut dispositio ipsis imperata, restringi debeat, ne excedat quartam Falcidiam aut Trebellianicam? Secundum, an dispositionis liberissima sit potestas?

De primo nihil dubitandum est, quin heredes universales censendi sint, dicti Executores: tum quod testator nullo alio cohære dato, eos formaliter heredes instituerit; tum quod relictum residui bonorum per se, sine formalibus verbis institutionis, Phil. Francius in c. Sipater nu. 47. De testam. lib. 6. importet heredis directam institutionem; tum denique quod Executorum universalium deputatio, adscripta potestate distribuendi bona, nullo alio herede instituto, Specul. in tit. de instrum. edit. §. nunc aliqua, vers. item pone quod aliqui, & ibi Ioan. Andrea in addit. Bart. in l. Centurio in 2. quest. primo de compendiosa De vulgari & pupil. Alex. consil. 4. Videtur inspectio nu. 10. & 17. vol. 2. aut etiam pauperibus heredibus institutis, pro institutione accipienda sit, l. Nulli, l. si quis ad declinandum C. De epis. & cler. Pauper. in c. Ioannes de testam. Tirac. in tract. Le mort jussit le vis. §. de testam. septima parit nu. 10. Sed tamen absolute heredes dici nequeunt, eo sensu, ut aliqua pars bonorum huic institutioni subiecta sit; hoc est ut residuum, ultra expressam & nominatim scripta legata, in libero arbitrio Executorum posita esse dici possit. Manifestum enim est, testatorem hos scripsisse heredes, non ad proprium eorum commodum; (quia id totum conclusit in legato quatuor aureorum pro onere executionis specialiter adscripto) sed ut de eo disponant, sicut ratio & equitas, &c. Ut manifestissimum sit, testatorem residuum bonorum reliquisse ad pias causas. † Nam ultra ea, quæ eleganter ex Ludovico Romano, cons. 228. Pro plena discussione, & alijs pro adstruenda hac sententia adduxit D. Hieronymus Puteanus (cujus resolutioni tamquam veræ per omnia adhæremus) in simili specie consultus Panormitanus eleganter respondit, cons. 110. In causa hospitalis vol. 2. quod cum quis moriens bona sua alicujus dispositioni committit, nullam etiam faciendo mentionem piæ causæ aut pauperum, censetur decedere testator ad pias causas, &c. Cum tibi, & ibi omnes Canonistæ De testam. Bart. in l. 1. C. De sacros. Eccles. multo magis, si ex verbis adiectis, piæ causæ aliqua fiat mentio, ut in proposito casu evenit: quia testator pauperum, honoris Dei, & salutis animæ suæ meminit; atque inde pia causa hæres instituta censetur & nominatus ad hanc dispositionem censetur constitutus velut minister & executor commissæ & Conf. Wamef. Tom. II.

mandatæ dispositionis; & ob id emolumentum dispositionis ad eum referri nequit.

Quamobrem cum Executores hic representent piam causam; & non suo, sed piæ causæ nomine instituti sint heredes: consequens est, eos nihil retinere aut deducere posse jure Falcidiæ aut Trebellianicæ: quam nemo sibi, sed legatarijs & fideicommissarijs, detrahit: & sic cum pia causa per representationem hæres hic sit instituta, Baldus consil. 131. Quædo testator vol. 5. nihil est ex relictis piæ causæ detrahendum. Cum aliqui communiore, & certiore opinione receptum sit, Falcidiam ex relictis piæ causæ non detrabi, neque etiam Trebellianicam, §. si autem hæres Auth. de Eccles. in ul. & ibi Jacob. de Bell. vis. Tirac. qui omnes conservat, in tract. pia causa 26. & 27. privilegio, Bened. Capra cons. 54. circa primum nu. 7. De quo minus hæc dubitandum, ex eo, quod testator expressim his Executoribus legaverit quatuor aureos; quos jure legati aut prælegati accipere non possent, si heredes instituti suo emolumento pro aliqua etiam parte essent: * quia ab herede ipsi heredi inutiliter legatur, l. Legatum est §. 1. l. Et quidem de legat. 1. Ita ut cum utilitas legati hic sit constituenda, consequens quoque sit, heredes suo commodo non esse, neque ex propria persona, sed legatarios; aut sic saltem heredes, ut in legato adscripto limitatio includatur: quasi testator aureis eos contentos esse jussit: quod ipsum quoque in extraneis heredibus, ad excludendam deductionem quartæ sufficit; ut per præfatum Dominum Puteanum bene deductum est.

Quoad secundum, dubitandum quoque non est, quin superscriptis verbis testamenti libera voluntatis potestas sit restricta. Quod enim alicujus conscientia, ac discretionis committitur, libero arbitrio & plenissimæ voluntati committum dici nequit; quia pro boni viri arbitrio id accipiendum est, Gloss. Clement. 1. De iure patronat. sic ut cui sic facta est commissio, non possit egredi terminos legum, juris, & rationis. Huiusmodi enim conscientia & discretio, ad quam bonâ fiduciâ se se refert testator, ad conscientiam & discretionem legibus conjunctam, non ad propriam, & quam quisque sibi effingit, referenda ac restringenda est, Iason in l. C. ritum nu. 13. C. Unde legitimi, Panor. d. cons. 110. nu. 2. De quo minus hic dubitandum est, ex eo, quod adiecta sint verba limitantia, ac restringentia, Sicut ratio & equitas, ipsorum discretio eis suadebit: quasi figuratâ loquutione, per hendiadyon scriptum sit; sicut rationabilis & æquabilis, seu æqua discretio suadebit. * Ita ut his Executoribus non sit liberissima voluntatis potestas, sed regulatæ tantum, & de cujus declaratione atque executione Superiori suo, hoc est Capitulo S. Servatii, cui imm. edicte subiecta est domus mortuaria, rationem reddere debeant; in quas scilicet pias causas facta sit distributio, Bald. in l. Quod pauperibus n. 38. C. De epis. & cleric. Ita ut si indiscretè facta fuerit aliqua distributio, reijci possit; & pecunia sic erogata repositi. Nihil enim hic amplius Executoribus concessum dici potest, quam ut constituant, quod vig bonus constitueret; non quod illos privata affe-

Etio, caro, aut sanguis trahit, *Benedict. Capra d. 7. consil. 54. nu. 11.* * ita ut nec sibi, nec suis spurij liberis, si quos haberent, quicquam ex his distribuere possent, *Bald. in d. l. id quod pauperibus, Capra d. consil. 54. nu. 25.* Est tamen in hoc arbitrio libertatis plurimum; sic ut omnia ex voto Superioris facere non debeant, neque etiam ex palato eorum, in quos idonee hæc distributio fieri posset; cum ea in parte gratificatio penitus exclusa non sit; sed causam causæ, personam personæ præferre possint, *Bald. in l. 1. num 31. c. De sacros. Eccles.* * Piarum enim causarum cum multa sint genera seu species, *Tiraquel. in tract. de pia causa in præfat. veluti pauperum xenodochia, Monasteria, alimentatio egentium, redemptio captivorum, studium, confraternitas, res sacræ; in eas omnes hæc distributio fieri potest, si id discretio Executorum dijudicabit, vel in aliquot ex his, alijs cunctis; sic ut sufficiat exitum & effectum distributionis esse pium, & in eo versatos esse Executores bonæ fide.* * Et ut inter causas electionis libertas est; ita quoque inter personas, quamvis non tanta, cum potior debeat esse consanguineorum testatoris conditio, tum quod ea commendatione prætermittenda id servari, ratio & æquitas postulent, *c. Non satis 86. dist. Bald. angel. & Imola in l. illa in situ De her. instit. Bald. in d. l. id quod pauperibus nu. 34. varbatia in c. Cum tibi vers. querit hic de testam. Paulus Paris. consil. 26. Frater Ioannes nu. 31. vol. 4.* non sic tamen, ut adstringantur maximam, aut mediam partem totius residui in consanguineos testatoris pauperes erogare. Distributio enim Executoribus commissa est; quæ in huiusmodi erogatione, quæ pietatis gratia fit, non debet esse exorbitans; sed in multas partes secta & diffusa: nam elemosynam hac commissione exercere voluit testator; non ditare quæquam.

Proinde bona ratione possunt Domini Executores illi, qui nunc importunius eos obturbat, rejicere; ac distributione prius accepta contentum esse iubere, cum dignum emolumentum habeat; quia huiusmodi distributio secundum iudicium boni viri sufficiens est: præsertim quia commendatio de pauperibus consanguineis speciale legatum non inducat: nemo enim commendando tantum censetur legare aut fideicommittere, *l. Fideicommissa §. si quis ita scripserit deleg. 3.* Sic ut specialem actionem non habeat ille obturbator; sed tantum, sub generaliter fideicommissa distributionis, officij iudicis implorationem: multò minus jus aliquod petendi dimidium residui: quasi media pars pauperibus amicis, reliqua dimidia alijs extraneis pauperibus sit eroganda. Nam, ut diximus, causarum, in quas fieri debeat hæc distributio, modus aut numerus præscriptus non est; sed tantum inter omnes causas, præ cæteris commendata tantum pauperum amicorum causa. Omniumque maxime, quod in facto proponatur, hunc obturbatorem non satis gratum fuisse testatori, ob prodigam & dissolutam vitam: sic ut testator rogatus, ut ei seu ejus uxori in testamento provideret, auscultare noluerit. Sic quod nec prior erogatio satis videatur facta secundum intentionem testatoris; nisi ex præsumpta remissione odij

per testatorem in extremis facta sustineatur, *Bald. in d. l. id quod pauperibus nu. 34.* & utrinque rationabilis videatur; meritòque ab ulteriore erogatione in hanc eandem personam Executores abstinere possint; tum propter honestam & competentem distributionem antecedentem, tum quod distributio in plurimos fieri debeat; tum denique quod persona majorem erogationem non mereatur: quod enim ei daretur, perdituro & per luxum consumpturo daretur, & male, *argum. l. si quis cum sciverit pro emptore.* Satis igitur officio suo facient Domini Executores, si in facienda distributione, moderate ac bonâ fide pauperibus cognatis testatoris succurrant; & ea in re secundum rationabilem discretionem faciant: nam si elemosynæ, aut pij legati modum excedere voluisset testator, per speciale legatum hoc fecisset, sicut aliquot cognatis expressim succurrit. Inter quos sunt, qui fortè ex testamento non tantum acceperunt, quantum hic obturbator ex prima distributione. Sic ut certissimum & indubitissimum sit, testatorem neminem ex cognatis collectivè vel separatim vocasse ad aliquam quotam; hoc est dimidiam, tertiam, aut quartam residui; sed tantum ad id, quod Executores equabili discretionem eis distribuendum putarent. Atque ita aliquando obtinui in secreto Concilio Cæsariæ ac Regiæ Catholice Majestatis in causa Executorum testamenti Illustris quondam Domine de Chievre, contra cognatos & amicos ejusdem Domine; quæ simili modo residuum bonorum secundum discretionem Executorum pauperibus distribuendum reliquerat.

De Successionibus ab intestato.

SYMMARIUM.

Beneficiatio quis succedat.

1. Prelati & clerici ad quas facta testam. teneantur.
2. Prelati vel clerici hæres ad quas refectiones per defunctum neglectas teneantur.
3. Prelatura vel beneficii successor, ad quas obligationes per prædecessorem contractas teneantur.
4. Prelatorum vel beneficiatorum hæres à successore in prelatura aut beneficio quas repetant impensas.
5. Instantia litis an ad successores in Prelaturis aut beneficijs, an ad hæres transcat.

CONSILIUM CCCCXXX.

Iunge Sup. consil. 371

POST unionem & annexionem Præposituræ ac Monasterij de Watenes per Sedem Apostolicam ex consensu Regiæ Catholice Majestatis, ad Episcopatum Audomarensem factam in anno 1578. pro tunc vacante Sede Episcopali; nondum ad illam nominato Reverendissimo Domino Ioanne Six, novissime defuncto Episcopo (cujus nominatio facta est in anno 1580.) dictum Monasterium per hæreticos & rebelles suæ Majestatis est funditus subver-